

tur, si memoria non fallit, nihil ad ea respondebimus, praesertim cum non ideas tollant, sed rationes earum astructivas improbent. Manifeste autem non Platonem, sed alios quosdam hoc loco eum carpere, haec verba subnexa indicant:⁵¹ *Et omnia quaecumque quidam sequentes opiniones de ideis contrariati sunt principiis.* Nam si Platonem ipse agnoscit idearum excogitatorem, non etiam eundem sectatorem dicere potest. Quare non omnia, quae in Aristotelicis libris contra ideas leguntur, contra Platonem dicta arbitrari debemus, sed contra alios, qui eius principia secuti multa de illis disputarunt, [332] ea loca indicabimus. Quae autem vel nominatim vel ex coniectura adversus Platonem dicta videbuntur, tuebimur.

Itaque quod mox subiungit:⁵² *Praeterea vero secundum quidem existimationem, per quam esse ideas dicimus, non solum substantiarum erunt ideae, sed multorum etiam aliorum.* Esto, quid tamen? Sunt enim et magnitudinis et pulchritudinis et iustitiae et aliorum omnium quae οὐσίαν, *essentiam* Platonico, non tamen substantiam Aristotelico more habent idque non solum pro inconvenienti non habemus, sed aperte asserimus:⁵³ *Et alia decem millia accidunt talia.* Quae nam alia decem millia? Nos dicimus omnium essentialium seu illae substantiae sint seu accidentia, ideas esse, praeter quae, cum nulla alia entia sint, ubi nam 10 illa reperiuntur?

Sed aliud addit:⁵⁴ *Si sunt participabiles formae substantiarum, necesse est ideas esse solum.* Et quae ad declarationem infert:⁵⁵ *Itaque erunt substantia ideae, eadem vero hic substantiam significant, et ibi.* Id fatemur nos quoque substantiae illae, substantiae hae,

⁵¹ καὶ πάντα ὅσα τινὲς ἀκολουθήσαντες ταῖς περὶ τῶν ιδεῶν [ειδῶν] δόξαις ἠναντιώθησαν ταῖς ἀρχαῖς. [ARIST. Metaph. 990b.21 – 22 također: ARIST. Metaph. 1079a.18]

⁵² ἔτι <δὲ> κατὰ μὲν τὴν ὑπόληψιν καθ' ἣν εἶναι φαμεν τὰς ιδέας, οὐ μόνον τῶν οὐσιῶν ἔσται εἶδη, ἀλλὰ πολλῶν καὶ ἐτέρων. [ARIST. Metaph. 990b.22 – 24]

⁵³ καὶ ἄλλα δὲ μυρία συμβαίνει τοιαῦτα. [ARIST. Metaph. 990b.27]

⁵⁴ εἰ ἔστι μεθεκτὰ {τὰ} εἶδη, τῶν οὐσιῶν ἀναγκαῖον ιδέας εἶναι μόνον. [ARIST. Metaph. 990b.28 – 29, također: ARIST. Metaph. 1079a.25]

⁵⁵ ὥστε ἔσται οὐσία τὰ εἶδη. ταῦτα δ' ἐνταῦθα οὐσίαν σημαίνει κακεῖ. [ARIST. Metaph. 990b.34 – a.1]